

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

(2)

DE

INSANIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

ADMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

*Eruditorum examini subjicit*

JOANNES REID,

ANGLUS:


SOCIET. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

ET OLIM PRÆSES:

NEC NON

SOCIET. NAT. STUD. EDIN.

PRÆSES ANNUUS.



Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

M DCC XCVIII.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22467336>

RICHARDO PULTENEY, M. D. S. R. S.

SCRIPTORI ELEGANTI,

PHILOSOPHO ORNATO, ERUDITO;

PATRIS DEFLETI,

AMICO CARISSIMO;

HOC OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.



NEC NON

MAXWELL GARTHSHORE, M. D. S. R. S.

LITERARUM SCIENTIÆQUE,

CULTORI INDEFESSO

ET

PATRONO :

HOC PEREXILE

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

OFFERT

JOANNES REID.



—Toi qui dans ta folie prends arrogamment le titre de *Roi de la nature* ; toi qui mesures et la terre et les cieux ; toi, pour qui ta vanité s'imagine que le tout a été fait, parce que tu es intelligent ; il ne faut qu'un léger accident, qu'un atôme déplacé, pour te faire périr, pour te dégrader, pour te ravir cette intelligence dont tu parois si fier !

ANON.

will be with the most respectful  
compliments of the author





2           DISPUTATIO MEDICA

lectationem nostri animi, et insanientium utilitatem, fructuosissimæ videantur, pauca scribere aggrediemur,

DE

---

---

**DE DEFINITIONE.**

---

---

II. Sed, quò nostræ disputationes cùm commodiùs explicentur, tùm meliùs intelligantur, oportet ante omnia definire, quid sit id, de quo disputandum. Hoc verò aperire clarâ definitione, in qua neque absit quicquam, neque redundet, in primis difficile est; eòque magis, quòd tam variæ sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes definitiones, ut fortasse nulla sit, a qua assensionem cohibere non liceat.

III. Qui enim dixerunt, eos insanire, *quotquot de rebus, seu sensu seu mente perceptis, pravè judicant, neque vitam rationi convenienter agunt*, ii in summo sanè errore sunt; quum,  
hac

hac definitione concessâ, nullus hominum quisquam esset, sive philosophus omni doctrinâ eruditus, sive rudis et indoctus rusticus, quin insanus habendus.

IV. Ad auctores, qui contendunt, eos insanos esse, *quorum in mentibus res oblata pravè vel inusitatè contexuntur*, responderi potest; aliâ cùm constitutione corporis, tum educatione, institutione, doctrinâ, sociis et si qua similia, vincula, quibus hominum in mentibus res connectuntur, licèt non genere differant, in diversis tamen hominibus diversam inter se rationem habere; sic profectò, ut uni ferè hominum cuique, in mente connexarum rerum cognatio, aliqua ex parte, sua sit.

V. Non desunt, qui eos insanire dicunt, *quorum in animis res, quales sint cunque, oblatae, affectiones concitant, quæ ad ipsarum re-*

*rum*

*rum magnitudinem vi haud respondent.* Iis verò, qui insaniam sic definiunt, objicere, opinamur, licet; commune planè nullum esse, nisi ipsas animi, quas concitant, affectiones, quo rerum oblatarum magnitudo æstimari possit. Iisdem enim oblatis, non solùm affectus in animis aliorum hominum eodem tempore, atque eorundem aliis temporibus, concitati, sed etiam animi motus, qui ex his concitatis oriuntur, mirum in modum, alii sunt: quo fit, ut amans avarum insanire putet, amantem, contrà, avarus.

VI. Porrò, dicunt alii philosophi, et hi quidem magni et nobiles, eos insanos habendos, *qui res externas non perinde, atque existunt, mente percipiunt.* At hi quoque insanix opinione labuntur; quippe cùm multi haud dubiè insani sint, qui nihilo tamen minùs, ut sani, res extrinsecùs oblatas, perinde atque existunt, mente percipere videntur.

VII.

VII. Denique, censent præclari quidam auctores, insanos esse eos, *qui nequeunt aut animos, quò velint, advertere, aut adversos attendere.* Hæc definitio, licèt antedictis vero utique propior sit, non tamen, per omnia, ea est, cui assentiri debeamus; propterea quòd haud rarò homines existunt, qui, licèt aliquando nequeant aut animos, quò velint, advertere, aut adversos attendere, sunt tamen cætera sani.

VIII. Philosophorum de insania opiniones cùm tam variæ sint, tamque inter se dissidentes; fieri potest, ut, licèt singulæ, aliqua ex parte, falsæ sint, tamen, quo consentiant omnes, id fortasse sit verum: singulorum autem de insania opiniones exprimunt singulæ definitiones: cui igitur hominum, quod omnium definitionum commune sit, id conveniat, eum verisimile est utique esse insanum.

---

---

**DE CAUSIS.**

---

---

IX. Cùm animo nimis confidente imò arrogante viderer, si id accuratè definire aggrederer, quod vel scriptores ex ingenio clarissimi definitè explicare frustra aggressi; non mihi consilium est, de insaniam definitione exquisitiùs et fusiùs disputare, sed potiùs perquirere atque exponere quasdam causarum, ex quibus hæc mentis ægrotatio sæpissime oriatur.

DE

---

---

*DE EBRIOSITATE.*

---

---

X. Convenit inter omnes ferè auctores, qui insaniam scriptis persecuti sunt, hunc animi morbum nullâ causâ sæpius, quàm ebriositate, concitari. Ante omnia igitur, quare ebriosi, præ cæteris, insani fiant, perquisitiùs exponere, pro virili parte conabimur.

XI. Ut ebriositate totius valetudinis corporis ægrotatio et imbecillitas efficiuntur; sic fieri vix potest, quin in animo quoque, quippe qui corporis invaletudinis persæpe consors sit, gignantur ægritudo et imbecillitas.

XII. Porrò, omnis cupiditas, cui, ratione improbante, obedit et servit aliquis, indulgendo



gendo increscit; atque, seriùs ociùs, ipsa imperat et dominatur, ratio spernitur, mens nihil valet.

XIII. Sentiendi vis, quæ nimiâ quotidie stimulatione incitatur, procedente tempore, morbida fit. Nimiâ enim intentione mens, haud secùs atque nimiâ exercitatione musculi, lassescit, fatigatur, fatiscit: atque, sicut musculi labore delassati, vel, tanquam paralyticorum, membra prorsùs movendi, vel, ut *chorea* laborantium, quò jubeat voluntas, dirigendi, impotentes fiunt; sic mens, quam infirmavit nimia intentio, se ad solita studia attendere nequit.

XIV. I. Obiter mirum est, *chorea* cum insania tantam similitudinem intercedere. Illa enim motibus membrorum corporis perpetuò inordinatis, neque voluntati obsequen-

B

tibus,

tibus insignitur ; hæc, similibus motibus animi.

2. Ea itidem insanitas, quæ a recentioribus medicis *MELANCHOLIA* nominatur, paralysin multùm refert. Ut enim paralyticus membrum, licèt huic etiamnum sensus insit, nequit tamen, quò velit, movere ; sic melancholicus mentem, etiamsi res percipiat, non tamen, quoties velit, dirigere, aut, nisi unam, eamque ferè eandem, contemplari et cogitare, potest.

XV. Non certius diem nox, aut corpus umbra, subsequitur, quàm ebriam hilaritatem sobria tristitia. Quanquam verò initio, quanto hilarior ebrius fuerit, tanto tristior sobrius est ; tamen, ebriositate inveterascente, hilaritas, stimulatione eâdem, minor indies fit, tristitia major. Quò fit, ut paulatim animus usque eò demittatur, ut cum melancholia prorsùs possideat.

XVI. Hoc (xv.) verum esse, consuetudinis effectus satis ostendunt. Nam pleraque eorum, quæ facinus, quantâcunque nos initio voluptate afficiant, crebrò facta nihil omnino dulcedinis movent ; atque, quod profectò mirum est, quo minus voluptatis nobis afferunt facta, eo plus ægritudinis interdicta vel intermissa gignunt. Ita fit, ut consuetudinem interrumpere tum difficillimum sit, cùm usque eò invaluerit, ut ejus vel conscii non simus. Hinc monemur, quàm necessarium sit, gaudia intermittere, si iis diu frui velimus : ex satietate enim adolescentium, tædium et fastidium grandium ætate et senum oriuntur.

XVII. Fieri, enimvero, vix potest, quin, qui singulas ferè noctes ebrii insaniunt, ii,— tanta est vis inveterascentis et inveteratæ consuetudinis,—mente adeò turbentur, ut vel sobrii continenter insaniant.

XVIII.

XVIII. Ut sic (xvii.) concludamus, non solùm ex cognito consuetudinis effectu adducimur; sed etiam ex eo, quòd homo, quem observandi nobis occasio haud ita pridem oblata est, ex quotidiana ferè ebrietate perturbatus adeò mente est, ut, etiam dum vino abstinebat, esset mentem haud dubiè insanus.

XIX. Etsi non omnis ebrietas insaniam gignit, tamen, cùm omnis ebrietas non rationem modò minuatur atque infirmit, sed animi quoque perturbationes, eas in primis, quibus naturâ homo maximè obedit, supra modum augeat, ut probemus non opus est, ebriositate demum inveteratam mentis ad omnia cæcitatem effici posse.

---

---

*DE NIMIA MENTIS CONTENTIONE.*

---

---

XX. Alia et vix minùs frequens insaniæ causa, nimia mentis contentio est.

XXI. Mentis, pariter atque corporis, exercitationem cùm necessariam esse tum utilem, lubenter concedimus. Sine enim modica utriusque exercitatione, valida nemini mens in valido corpore esse potest.

XXII. Sed, vel in optimis, modus est; certi imò sunt fines, quos citra impunè insistere, nedum ultra transgredi, nemini licet. Quocirca, menti haud minùs nocet nimia intentio, quàm prodest modica.

XXIII.

XXIII. Quanquam, nostris temporibus, tam rari sunt, qui literarum scientiarumve studium nimis navant, ut non opus sit, ut nostratibus juvenibus studiorum modum adhibendum injungamus; nulla tamen intemperantia, quàm ea studiorum, plùs mentem labefactat atque infirmit.

XXIV. Persæpe laudis nimis avari, mentis valetudinem literarum gloriæ posthabent; imò etiam, dum eorum animus nimis assiduo doctrinæ et vehemente studio flagrat, mens amittitur.

XXV. Literarum avidi haud pauci sunt, qui solùm intenti ut helluentur libris, rudem sibi indigestamque comparant doctrinæ molem, quam adeò nequit mens distribuere et componere, ut ipsa penitùs obruatur.

XXVI.

XXVI. Attamen, si nimium studium nihil amplius mali, quàm redderet mentem pigriorem et minùs perspicacem, quàm fecerat natura, multo profectò rariùs esset, quamobrem mala, quibus fœcundum est, doleremus. Sed, eheu! durum est, haud rarò, sicut a fideis auctoribus accipimus, nimio studio non ingenium modò paulatim torpuit, sed demum ratio quoque omnino perivit. Quando sic mente studiis nimis devinctâ homo fit ingenio invalidus, rationisque expers, quis non dolet, cognoscendi studio gigni inscientiam? Verùm adhuc magis dolendum est, quando mente in literas nimis intentâ prorsùs perturbatur intellectus.

XXVII. Sed, etiamsi nimiâ intentione mens nostra semper plùs minùs infirmetur et torpeat, tamen tum præcipuè, cùm paucarum tantùm rerum studio occupamur.

XXVIII.

XXVIII. Contrà, alias res atque alias contemplando mentis acies parùm aut fatigatur aut hebescit. Studiorum enim varietas sæpe mentem haud minùs relaxat et recreat, quàm studiorum intermissio.

XXIX. Neque profectò hoc (xxviii.) mirum est, cùm præsertim corpus quidem, nimîa exercitatione fatigatum, non interquiescendo solùm, sed aliâ etiam exercitatione, recreari possit, et ad novos labores validum reddi.

XXX. Ita (xxix.) esse, eo satìs constat, quòd aliquis quantumcunque equitando fatigatus, sine tamen incommodo ambulare potest: unde apparet, quanta, quod ad fatigationem attinet, menti cum corpore intercedat similitudo.

XXXI.



XXXI. Itidem, si, rem quamlibet nimis justove diutius legendo cogitandove, mens usque eò fatigatur, ut nequeat ad eam se longiùs attendere, semper tamen recreari potest ad rem prorsùs aliam se attendendo.

XXXII. Etenim, postquam nostra poetam per sublimes tractus sequendo imaginatio fatigata est, etiamnum philosophum, qui de interioribus atque reconditis naturæ rebus subtiliter ratiocinatur, cum voluptate comitari possumus.

XXXIII. Qui naturâ ad insaniam proclives sunt, iis cavendum est, non solùm ne animum nimis intendant, sed etiam ne iis occupentur, quæ perplexa sunt, atque intellectu difficilia. Ex iis tamen, quæ intellectu percipiuntur, pauca sunt, quibus se delectare non permittatur, dummodo ab iis sedulò

C

abstineant,

abstineant, quæ hominum animis et cogitatione vix comprehendi possint.

XXXIV. Vix enim expedit, imò vix tutum est, mentem iis multùm occupari, de quibus tam sæpe dubitatur ; ubi, incerta veri, tam rarò assensu requiescit ; saltem ubi veri cognitio laborem, quo acquisita est, ferè nunquam satis compensat.

*DE*

---

---

*DE SOLITUDINE.*

---

---

XXXV. Studium intensum, vel aliud quodlibet quod mentem diu sic occupat, ut externa vel non percipiat vel percepta negligat, facit haud rarò, ut homines desipiscant. Quippe enim, ni externa mentem perpetuò, dum vigilatur, allicerent; fieri vix posset, quin series cogitationum haud facilè interrumpenda, qualis insaniam prægrediatur, atque præsentem plerumque, magna ex parte, constituat, mentem ex toto occuparet. Hinc apparet, quamobrem solitudo iis tam periculosa sit,

sit, qui ad insaniam proclives sunt. Nonnulli mihi noti sunt acerrimo sensu præditi, atque studiis dediti, qui longâ demum solitudine, uti videbatur, atque sejuncti et segregati a hominum societate, in melancholiam inveteratam inciderunt.

XXXVI. Mentem suis omnino cogitationibus occupari, hominibus parùm convenit. Ita, enimvero, nati sumus, ut societatem iniremus; neque, profectò, possumus amori, quo communitate conjungimur, et unde quotquot nobis suavia et cara oriuntur, impunè repugnare.

XXXVII. Quoties mentibus eorum, qui ad insaniam proclives videntur, res quælibet adèd familiares evaserunt, ut eas afficere cessaverint, alias, quæ novitate percellant, offerre oportet, et profectò, quantum potest, his occupare.

cupare. Hanc ob rem, migratio et peregrinatio, novis mentem rebus oblectando, iis ad insaniam proclivibus multùm prosunt, ideoque a medicis laudata sunt.

XXXVIII. Certiores nos facit WILLISIUS, insanorum, quos ad sanam mentem perduxit, multo plures advenas fuisse, quàm BRITANNIÆ indigenas. Ita, ut verisimillimum est, accidit, quòd, contrà atque cecinit divinus poeta, non cœlum modò, sed aliqua quoque ex parte animum mutant, qui trans mare currunt, novisque peregrè rebus oblectantur.

XXXIX. Medici, ut nobis videtur, justo sæpius insanos in tenebrosis et secretis locis cohibendos curant ; ubi, id profectò quod imprimis crudele est, nihil conspicitur, quod animos ab iis, quibus ultra modum occupantur, avertere aut allicere possit.

XL. Nostris temporibus, quàm olim, insaniam sæpius curare medici potuerunt; propterea fortasse quòd, de insanos in obscuris locis cohibendi more decesserunt.

XLI. Ut ingenio pravus rarissimè carcere probus redditur, sic mente captus haud sæpe hospitio insanorum sanæ mentis fit. Tam pravos quàm insanos cohibere, ne injuriâ alios afficiant, interdum utilissimum esse, imò et necessarium confitemur: verùm sic, enimvero, rarissimè aut illis animi probitas, aut his mentis sanitas, restituitur; contrà, coërcitione sæpius illi nequiores fiunt, hi magis desipiunt. Quinetiam nihil, suspicamur, est, quod ad eos, quibus mentis sanitas redivit, tantùm in insaniam reducendum faciat, quàm memoria præteritorum malorum, quæ in valetudinario insanorum perpessi sunt; atque timor, ne, insaniâ redeunte, ab amicis seclusi et solitario carcere cohibiti, eadem denuo mala, aut  
etiam

etiam graviora, ad arbitrium crudelis atque  
illachrymabilis tyranni, cujus mentem ne qui-  
dem insanitas, maximum sanè malorum, po-  
test tangere, nullo amico ultro miserante, pa-  
tiantur.

*DE*

---

---

*DE PERVIGILATIONE.*

---

---

XLII. Mens in nimis alta studia sæpe et diu intenta, maximè concubiâ nocte, quippe cùm hominem ad pervigilandum pronum faciat, atque somnum, quantum requirat natura, capiendi impotentem, efficere potest, ut seriùs ociùs insania superveniat. Insomnia enim nocturna non insaniam antegreditur modò et præsentem insignit, verùm nonnunquam quoque concitâsse videtur.

XLIII. Enimvero haud ignoramus, turbatis animi motibus potiùs, atque mordacibus solitudinibus, quæ obstant, quò minùs somnus ineatur, quàm ipsi insomniæ, insaniam plerumque



rumque tribuendam esse. Verùm, licèt insomnia sola insaniam non moveat, efficere tamen potest, ut aliæ causæ ad movendam plùs polleant.

XLIV. Ita (XLIII.) esse, facilè constabit, dummodo, quæ inter somnum haud rarò accidant, consideremus. Quæ hæc sint, res postulare videtur, ut paucis explicemus.

XLV. Variæ sanè et multiformes imagines, quibus mens vel sanissimorum, inter somnum, interdum occupatur, et huc illuc rapitur, hanc vegetam, facilem et flexibilem conservant; neque permittunt, ut, sicut plerumque ea miserandorum, qui in eo sunt, insani ut fiant, de una tantùm re vel rerum serie cogitare assuescat.

XLVI. Somnus, dummodo, temporibus naturâ statutis, capiatur, animi voluntatem in-

D

terquiescere

terquiescere sinit, atque sic regendi cogitationes, quibus, dum vigiles sumus, mens occupatur, potentem conservat.

XLVII. Dubitari vix potest, quin animi voluntas, quò legitimum tam in cogitationes, quàm in musculos qui ejus jussui parent, imperium teneat, frequente, æqualibus temporibus interpositis, requiete egeat. Quocirca, voluntatis, nisi idoneis intervallis interquiescat, imperium paulatim remittitur, demumque, ex toto, subvertitur.

XLVIII. Somno, porrò, haud rarò sedantur turbati animi motus, atque effugiunt mordaces sollicitudines, quæ, nisi identidem sic consopirentur, mentem brevi turbarent.

XLIX. Insomnia nimis longa et frequens insaniam concitare potest, mentem paulatim aptam reddendo, quæ res quascunque oblatas  
solito

solito acriùs percipiat, perceptisque violentiùs moveatur. Hujusmodi haud rarò mentis studiosi, inter noctis tenebras, silentium et solitudinem, conscii sunt. Mirum, profectò, est, quanto inter noctem acriùs res percipiamus, quantoque perceptis incitatiùs moveamur, quàm interdiu, quando luce, sonis, cæterisque undecunque sensus afficientibus animi attentio multipliciter occupatur, et in multas deinceps, imò ferè simul, res dispartitur et dividitur.

L. His (XLV.—XLIX.) cognitis et consideratis, satis, opinamur, constabit, fòre, ut nocturnâ pervigilatione quolibet vividè percepto, vel præ cæteris grato, animus, magna ex parte, imò interdum ex toto, occupetur, atque cætera oblata, utcunque digna sint ad quæ se attendat, omnino negligat.

---

---

*DE ANIMI AFFECTIONIBUS.*

---

---

LI. Mirum sanè videretur, si, dum de insaniæ causis loquebamur, animi affectiones affectusque silentio incuriosi præteriremus. Quocirca, de his, quantum ad hunc morbum faciendum valeant, paucis dicere nobis constitutum est.

LII. Nulla animi affectio est, quin, si ei nimis indulgeatur, insaniam gignat. At nulla tamen est, quæ æquè sæpe, atque sacra auri fames, seu avaritia.

LIII.

LIII. Neque, profectò, hoc iis mirum apparebit, qui consideraverint; avaritiam non solùm apud juniores dominari, sed etiam apud provecctos ætate et exsuccos senes, quibus, præ vergentis ætatis imbecillitate, cæteræ affectiones ferè omnes torpescunt aut extinguuntur; multo frequentiùs vigere apud mercatores, quorum animi, utpote qui paucis student, aptiores sunt, qui una re aut notione contemplanda, ex toto, occupentur; denique, fieri vix posse, quin nimis animi atque intempestivis contentionibus, ad quas turpi lucro instigantur avari, et edacibus sollicitudinibus quæ hinc oriuntur, ratio, progrediente tempore, non hebescat modò, verum haud rarò quoque obcæcetur.

LIV. Si poetis historiarumque fabulosarum auctoribus fides esset, crederemus, ex amore sæpius, quàm aliis animi affectibus, oriri insaniam.

LV.

LV. Sed, utcunque olim fuerit, nunc vix necessarium videtur, monere juvenes, ne nimis indulgeant affectui, cujus, nostris temporibus, vel justa indulgentia avaritiæ plerumque et vanitati posthabetur.

LVI. Procul a me absit, amorem, omnium sanè affectuum optimum suavissimumque, atque optimo quoque optimâque maximè colendum, detrectare aut nihili facere. Neque dulcissimus omnium affectus, unde oriuntur non summa modò voluptas, sed mores quoque casti et amabilissima proles, cohibeatur, nisi quoties effrænus fiat, atque hominem vitæ muneribus officiisque imparem, et cæterarum voluptatum negligentem, reddat.

LVII. Plerique auctorum, qui de insania scripserunt, monent, ut nimius animi affectus, qualiscunque is fuerit ex quo orta insania sit, prorsùs contrario moto minuatur. Quanquam

verò

verò auctores clari in primis sic monuerunt, non tamen possumus, quin, an sit idoneum, hæreamus.

LVIII. Mèntem, quæ, sicut ea insanorum, uni tantùm rei rerumve seriei inhæret, ad alias, quæ partim occupent, advertere et alligere, multùm haud dubiè expedit. Verùm hoc faciendo cavendum est, ne novæ res mentem nimis impellant, atque aliis forsanique gravioribus motibus, quos excitent, teneram ejus fabricam, motibus jam nimis nutantem et ferè labefactatam, prorsùs diruant. Hoc enim facere, esset unum sanè malum avertendo, in majus incurrere.

LIX. Quotquot accedunt ad sententiam, quam modò (LVII.) memoravimus, motum nempe quemlibet animi nimium contrario optimè sedari, iis idoneum videtur, furorem,  
quo

quo sæpe moventur insanientes, metu injecto compescere.

LX. Sed, animus, qualis is insanientium, graviter commotus aut incitatus, possit, necne, metu semper sedari, nobis sanè dubium videtur. Certè tali animo metus cautè injiciendus est. Etenim nihil animum magis commovet, quàm impendentis periculi metus: quàm enim sæpe, dum imminens malum fugere aut avertere conamur, obstantes moles facilè tollimus, quas, malorum securi neque timentes, exsuperare summis conaminibus non potuissemus?

LXI. At haud tamen negandum est, terrorem, si ultra certum modum injectus sit, facere, ut non solùm corpus omnibus artubus penitùs intremiscat, sed etiam ut mens prorsùs stupeat, neque, quid sit faciendum ut terror amoveatur, perspiciat. Idem verò faciunt



unt alii animi motus, qui corpus solvunt, simulque mentem stupefaciunt. Non enim ignoramus, nimiâ libidine flagrantem, concupitam haud rarò voluptatem capiendi impotentem fieri; amantem virgini, quam vehementer amat, quaque frui ardet, non, nisi obtutu atque suspiriis, quanto flagret amore, significare posse; denique, illum, qui inopinato beneficio affectus fuerit, sæpe aliter, atque lachrymis, ei, qui benefecerit, gratias agere nequire.

LXII. Neque ii meliùs, ut nobis videtur, præcipiunt, qui volunt, insanos, quò suo minùs arbitrio furant, continenter inhihendos, non modò ne semetipsos aliosve vi afficiant, sed quia, ut putant, ipsa quoque inhibitio haud parùm proficit. In hanc sententiam accedit CULLENUS, atque, quò confirmet, ait,  
 “angry passions are always rendered more

E

“ violent

“ violent by the indulgence of the motions  
 “ they produce.”

LXIII. Verùm nonne, contrà atque asserit spectatus hic (LXII.) auctor, compertum est, motus animi cohibitos sæpe graviores reddi? Si vis flammam extinguere, qua ardet amator, nonne melius est, si ritè potest, ei permittere, ut concupitâ voluptate fruatur, quàm ei, ne oculis aspiciat amatam, qua perit, interdicerè? Mœror lachrymis levatur, suspiriis et fletu; neque mœrenti quid crudelius est magisve intolerandum, quàm prohibere, ne his naturalibus signis ægritudinem ostendat. Brevis, porrò, furor, quo iracundus exardet, plerumque sedatur icibus, quos ei, quodcunque moverit furorem, impingit. Denique, ne multis, omnes ferè animi affectus inhibiti increscunt, saturati intereunt.

LXIV.

LXIV. His (LXIII.) consideratis, inclinatus animus ut credam, non ultrà inhibendos esse insanos, ne naturalibus indiciis animi affectus exprimant, quàm quod opus sit, ut caveatur, ne quid aliis detrimenti, ipsisve gravis aut insanabilis mali, inferant. Ut furori indulgeant, si duntaxat brevem sibimetipsis dolorem afferat indulgentia, insanis, opinor, permittendum est: namque haud ignari malorum, quæ ab expleto furore acceperunt, animum postea cohibere, et rationi obtemperare assuescant.

---

---

FINIS.

---

---

